D. D.

Theses,

quas

Venia Max. Vener. Senatus Sacri Lundensis

pro munere Rectoris

publico examini modeste subjicit

JOH. O. LINDFORS,

Philos. Magister, Literat. et Archæol. Rom. Docens atque ad Museum Hist. et Numophyl. Amanuensis Ord.,

Respondente

G. M. DUVANDER,

Scano.

In Academia Carolina d. XI Dec. MDCCCXLI.

LUNDÆ,

TYPIS EXCUDIT CAROLUS FR. BERLING,

UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS,

MDCCCXLI.

I.

Quæ sit disciplina utilissima, maximeque cui studeatur digna, absurde sane et inepte quæritur. Omnes enim suo modo, suisque certis consiliis utiles et necessariæ sunt. Valent præterea omnes ad animi excolendas facultates, quo homines ad negotia vitæ diversa apti et parati redduntur. Concedamus tamen necesse est, non omnes annis ineuntibus pariter convenire, eosque, quibus placet disciplinam a literis, ut dicuntur, altioribus incipere, committere contra naturam, quæ docet, nos in eruditione puerorum non minus, quam in aliis rebus, a levioribus ad graviora progredi debere.

II.

Studium historiæ, licet inter gravissima, potest tamen, immo etiam plerumque debet leviter initio tractari, ut pueri, qui hoc instituuntur studio, priusquam chronologicum rerum ordinem tenere coeperunt, res ipsas facile percipere earumque meminisse possint. Est igitur haud spernenda eorum ratio docendi, qui, quo melius pueri pronunciare discant, ut narratiunculas, quales in fontibus historiæ occurrunt, perlegant et quantum possunt meminerint, curant. Ea enim exercitatione studium augetur legendi atque memoria ingeniumque acuuntur puerorum, inprimis si deinde quæ legerunt ex memoria propriis ipsorum verbis enarrant.

III.

Præcepta quæque Grammatica ita exprimenda mihi videntur, ut aut nullum omnino aut liberum lectori relinquant judicium. Genera enim duo sunt

eorum, qui legunt, aut qui possunt, aut qui nequeunt ipsi judicare, quorum illis hoc, his illud genus præceptorum magis prodest.

IV.

Philologi summum est propositum et difficilimum, definire vim et significationem propriam et singularem Casuum et Particularum linguæ, non minus emortuæ, quam vivæ. Cum enim inter se differant rationes hominum sentiendi, necessario etiam inde sequitur, ut alii aliter has exprimant rationes. Cumque casus et particulæ propius totam quamque sententiam definiant, præ ceteris harum rationes, quoad poterit, explicatas reddere debet philologus.

V.

Perplurimas inter regulas, quas minus recte proponit Zumpt, illa, quæ sub §. 481 occurrit, etiam est numeranda: Præpositio omittitur ad *loco* et *locis*, cum juncta cum adjectivis l. Pronominibus adjectivis construuntur, v. c. *hoc loco, multis locis, aliquot locis, secundo loco, meliore loco res nostræ sunt, illustri loco laus tua sita est.* Multa enim apud scriptores ætatis aureæ inveniuntur exempla contrarii, quorum ex copia mihi liceat hæc tantummodo afferre: Cic. ad Att. II: 1. *Præsertim cum sis in propinquis locis.* Cic. ad Brut. Ep. 5. *Ut in iisdem locis exercitum contineres.* Cæs. B. G. I: 49. *Ultra eum locum, quo in loco Germani consederant.*

VI.

In nominibus enodandis multi laborarunt semperque laborabunt ita, ut operosum hac in re laborem Stoicorum appellet Cicero. At ipsum hac culpa minime vacare, ex eo apparet, quod fidem appellatam censet, quia fiat quod dictum est; cum tamen omnibus, qui in literis antiquis versati sunt, concedendum videtur, sensum verborum *πειθω, (πιθω?)*, fido cognatione non dubia sese attingere.

VII.

Quanta sit sensus veri in lingua Hebræa interpretandi difficultas, si textus integritatem servandam respexeris, facile videbis ex loco illo Es. IX: 2, á commentatoribus permultum vexato.

VIII.

Inter studia, in quibus versantur pueri, nullum forsan plerisque est ingratius, quam studium Matheseos. Quæ tamen res facile adjuvaretur, me judice, si prius, quam ad studium adgrederentur pueri, figurarum constructionis studiosi, elementa Geometriæ perciperent. Sensus enim prius res excipiunt externi, quam internus, ideoque facilis crediderim, Geometriam prius, quam Arithmeticam, ut dicunt, altiorem, esse pueris discendam; atque per Algebram has esse jungendas.

IX.

Scholis, in quibus paucitas est major magistrorum, quam ut ambulatoria potuerit adhiberi methodus, incommodo tamen vix fore puto, Rectorem cum Collegis ita partes distribuere, ut quisque rei cujusdam peritissimus hanc omnes classes doceat.